

hoc motivum decreti, et post hoc motivum venit ipsum decretum, et quid continetur?) decernit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.

„Ergo decretum Concilii Tridentini duabus partibus constat, scilicet quod nemo audeat Sacram Scripturam contorquere in sensum suum privatum, et quod unusquisque teneatur Sacram Scripturam non aliter interpretari quam iuxta sensum Ecclesiae, et non contra consensum Patrum; sed adiuncta est conditio: in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium. Ergo restrictio illa utique ad priorem partem aequae pertinet ac ad posteriorem: et reapse nullum verum discrimen est inter Constitutionem dogmaticam nostram et inter decretum Tridentinum. Discrimen hoc tunc solummodo admitti posset saltem quadam veri specie, si Tridentina verba ipsissima sic sonarent: praeterea ad coercenda in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium petulantia ingenia decernit, ut nemo audeat Sacram Scripturam ad sensum suum contorquens contra eum sensum . . . interpretari. Ergo si restrictio illa revera in Tridentino transumpta fuisset ad coercenda petulantia ingenia, tunc utique aliqua saltem veri species adesset. Sed quum reapse haec restrictio referatur ad illam partem decreti, quod nemo ingenio suo privato indulgeat in interpretanda Scriptura, sed quod interpretetur Sacra[m] Scriptura[m] iuxta sensum Ecclesiae, et non contra consensum Patrum, reapse discrimen nullum intercedit.“¹

Dubitari certe nequit, quin verba illa „in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium“ eodem sensu a Vaticano, quo a Tridentino, sint usurpata, atque ab utroque Concilio non solum recte, sed etiam sapienter addita sint. Quis negaverit, speciali Dei providentia factum esse, ut Patres Tridentini Concilii verba illa adderent, quum hi suspicari non possent, quam vehementer scientia, praesertim scientia naturalis, Sacram Scripturam, cuius loci aliqui propter res naturales a veteribus non satis cognitae non bene explicati erant, esset aggressura? — Ad ea verba explicanda pauca addemus.

In primis patet, rebus fidei et morum non opponi res historicas ut tales. Etenim multa maximi momenti dogmata sunt facta historica, ut ipsa Christi in cruce mors; imo fere integri S. Scripturae libri rebus historicis continentur: libri historici V. et N. Testamenti.

¹ Relatio etc. C. V. 240a sqq.

Rebus fidei et morum opponuntur *res, quae non sunt religiosae*, i. e. *quae non versantur circa Deum nostramque ad Deum relationem*; haec enim non pertinent ad materiam, ex qua aedificium christianae doctrinae extruitur. Constat autem, etiam tales res in S. Scriptura contineri.

Huc retulerit forsitan quispiam locos illos, qui non propter res iis ipsis enuntiatas inspirati sunt, sed propter alios locos, cum quibus naturali quodam nexu coniunguntur. Si v. g. S. Paulus in fine secundae epistolae ad Timotheum scribit, se Troade penulam reliquisse, Erastum remansisse Corinthi, Trophimum infirmum Mileti: ad haec quidem scribenda inspiratus est, non tamen propter harum rerum vim, sed, cum inspiratus ad Timotheum epistolam scriberet, praeter res religiosas ea etiam affert, quae in epistola afferri solent, et quae ut cognoscat Timothei aliquantum interest. De horum autem locorum, quibus nihil plane religiosi continetur, in decreto Concilii de interpretatione Scripturae sermo esse vix potest, non solum, quia omnino perspicui sunt, sed etiam propterea, quia de eorum sensu nulla Ecclesiae se offert loquendi occasio. Excitari quidem circa hos locos potest quaestio, num vere inspirati sint. Haec quaestio evidenter ad res fidei spectat, quum sit quaestio de extensione inspirationis, neque certe in hac quaestione theologo licet negligere, quid tenuerit et teneat s. Mater Ecclesia. Sed ea in quaestione non agitur de *interpretatione* S. Scripturae.

Sunt alii S. Scripturae loci, quibus continentur quidem res religiosae, ita tamen, ut iis insit etiam aliquid non religiosum. Christi verba, quae a Matthaeo 5, 45 referuntur: „(Deus) solem suum oriri facit super bonos et malos“, veritatem religiosam enuntiant; sed „solem oriri“, religiosa veritas non est; si igitur in loco illo explicando veteres vocem „oriri“ sensu proprio usurpant, eorum interpretationem sequi nemo vi decreti, de quo agimus, tenetur. Veritas religiosa loco illo enuntiat eadem est, sive sol vere oritur, sive terra rotatur. Ad res religiosas, ut aliud exemplum afferamus, spectat, Deum parasse Ionae prophetae certam quandam plantam (hebr. kikaion), ut ascenderet super caput eius eumque umbra protegeret¹. Illam autem plantam fuisse hederam, vel cucurbitam, vel ricinum, vel aliam plantam — est enim de significatione vocis Hebraicae dissensio opinionum —, ad res religiosas seu ad res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium non spectat. Eas igitur res Concilium Tridentinum et Vaticanum decreto comprehendere non vult, quo statuit, in explicanda S. Scriptura Ecclesiae explicationem sequendam esse.

Animadvertendum autem est, haec Concilia ita statuere, Scripturae interpretem in rebus religiosis Ecclesiae interpretationem sequi debere, ut non dicant, eum in rebus, quae religiosae non sint, liberum esse. Hoc alterum neque illis Conciliorum decretis formaliter con-

¹ Ion. 4, 6.

tinetur neque ex iis immediate effici potest. Solent tamen theologi, quum illa decreta exponant, interpretibus in rebus, quae ad fidem et mores non spectant, libertatem attribuere. „Nihil obstat,“ inquit R. Cornely¹, „quominus in rebus historicis, physicis aliisque similibus, quae nec fidem nec morum regulam attingunt, Patrum opiniones relinquuntur“, atque Brixinensem Episcopum vidimus² in ipsa Congregatione generali, cum nomine deputationis coram omnibus Patribus congregatis decretum explicaret, significasse, interpretes S. Scripturae in rebus, quae nec ad religionem spectarent nec inspirationis doctrinam tangerent, liberos esse.

Theologi autem, quum docent, in rebus ad religionem non spectantibus eum sensum, „quem tenuit ac tenet s. Mater Ecclesia“, relinquere posse, de explicatione S. Scripturae loqui solent, quae *Patrum consensione* vel *ordinario Ecclesiae magisterio*, non de ea, quae *solemni Ecclesiae iudicio* proponitur. Fieri profecto potest, ut Ecclesia, quum de sensu alicuius loci Scripturae controversia orta sit, etiam in re ad religionem non spectante iudicio definitivo decidat, quis sit illius loci sensus, ita ut quaestioni finem imponat, nec iam aliter eum explicare liceat. Contenderat scriptor quidam Germaniae, veritates Scripturae, quae non propter se, sed propter alias inspiratae essent, ad Ecclesiae tribunal non pertinere. Ei respondit Franzelin, id „ita absolute ac simpliciter“ dici non posse, quum veritates illae per ipsam inspirationem elevarentur ad ordinem religionis ac fidei: „Potest sane Ecclesia de his iudicare infallibiliter, maxime si opus sit propter alia, ad custodiam nempe depositi per se revelati.“³ Id profecto rectissime. Si quis v. g. in historica inquisitione de censibus a Romanis habitis doctrinam proposuisset, quae initio secundi capituli Evangelii Lucae, ubi census cuiusdam commemoratione tempus, quo Christus natus est, indicatur, contradiceret, atque, ne narrationem Evangelii e medio tollere videretur, ad innaturalem et intolerabilem eius explicationem confugeret, Ecclesia sine dubio eam explicationem infallibili auctoritate reiicere posset, quum doctrina per se revelata de tempore nativitatis Christi periclitaretur. Imo ea explicatione generatim doctrina de inspiratione in periculum vocaretur; quum enim artificiosa talis explicatio ferri non posset, periculum esset, ne tandem ipsa veritas narrationis illius atque divina eius inspiratio negaretur. Ad depositum igitur veritatum in S. Scriptura per se revelatarum custodiendum et ad extensionem inspirationis declarandam — id quod vel maxime spectat ad authenticum Ecclesiae magisterium — definitivo

¹ Historicae et criticae introductionis in U. T. libros sacros compendium p. 146. ² Cfr. supra p. 55.

³ Ioannes B. Franzelin, Tractatus de Traditione et Scriptura, editio altera, p. 736.

et infallibili iudicio illam explicationem reiicere posset. Quum Congregatio S. Officii Galilei doctrinam de motu terrae tanquam S. Scripturae contrariam reiiceret, erravit. Sed non putamus, eam in hoc errasse, quod Ecclesiae ius tribuebat locos Scripturae, qui in quaestionem veniebant, etiam eatenus authentice interpretandi, quatenus res per se non religiosas respiciunt. Erravit in explicatione locorum. Doctrinam novam et inauditam de motu terrae, quae eo tempore neque satis probari neque contra obiectiones defendi poterat, conciliari posse negabat cum locis S. Scripturae, quibus terra immota stare et sol oriri et occidere dicitur, quique ad illud usque tempus semper sensu primo se offerente explicati erant, quum nemini in mentem venisset, non solis sed terrae motu diei atque noctis vicissitudinem locum habere. *Supremum* Ecclesiae tribunal, si sententiam de interpretatione nova tulisset, ab illo errore servatum esset immune.

Itaque contendimus, fieri posse, ut Ecclesia iudicio definitivo, quis sit sensus alicuius loci S. Scripturae, etiam in re per se non religiosa, declaret, ita ut aliam explicationem sequi non iam liceat. Quae quidem quaestio practice magni momenti non est. Si enim accidat, ut Ecclesia sententiam definitivam de sensu alicuius loci per se non religiosi ferat, etiam is, qui contenderit, in rebus non religiosis iudicium de sensu S. Scripturae ad Ecclesiam non spectare, Ecclesiae sententiae se subiicere debet, quum quaestio de ambitu potestatis Ecclesiae profecto ad eius ipsius tribunal spectet.

Sed haec de ea sola Scripturae explicatione valent, quam Ecclesia *solemni iudicio* proponit. Theologi autem, quum dicunt, in rebus, quae ad fidem et mores non spectant, recedi posse a sensu, „quem tenuit ac tenet s. Mater Ecclesia“, de ea explicatione loquuntur, quae *ab ordinario Ecclesiae magisterio* vel *consensu Patrum* proponitur, eamque certe etiam ipsa Concilia ob oculos habuerunt¹. Ac profecto vix unquam vel nunquam potest exstare obligatio hac in re, quae religiosa non est, sequendi. Licet enim ambitus obiecti, circa quod ordinarium Ecclesiae magisterium versatur, idem sit atque illud, circa quod versatur extraordinarium, Ecclesia tamen, quum ordinario magisterio Scripturam explicat, seu Patres, quum eam explicant, res, quae religiosae non sunt, secundum obvium et primo se offerentem locorum sensum *obiter* referunt neque in iis docendis vel tradendis versantur. Si quis igitur in rebus historicis, physicis, aliisque similibus opinionem sibi sequendam putat, quae cum S. Scriptura sine vi verbis illata conciliari potest, libertate illam opinionem sequendi non privatur propterea, quia in Ecclesia exstat alicuius loci S. Scripturae explicatio, quae cum illa opinione conciliari nequit. Quod quo iure dicatur, exemplo illustratur historiae systematis Kopernicani.

¹ Cf. Ratio etc. C. V. 80 b. Cf. supra p. 54.

In ea autem re valde cavendum est, ne res dicatur non religiosa, quae vere religiosa est, quod quanti momenti sit, consideratis quibusdam exemplis controversiarum patet, quae hodie agitantur.

Sunt, qui doceant, corpus hominis non immediate a Deo e limo terrae formatum, sed lege a Deo statuta ex inferiorum animalium corpore paullatim evolutum esse, cui evolutio Deus animum humanum inspiraverit. Eam doctrinam cum S. Scripturae narratione de hominis creatione conciliare volunt. Id nos quidem impossibile esse censemus. Quaeritur autem, utrum in explicanda illa narratione liberi sint, an exstantem Ecclesiae explicationem sequi debeant. Quaestio haec pendet ab alia illa quaestione, utrum doctrina de hominis immediata creatione sit religionis doctrina necne. Id ipsi negant. Contendunt, ad religionem spectare solam veritatem hanc, hominem etiam secundum corpus a Deo creatum esse, non autem, corpus immediate a Deo creatum esse. Nobis quidem etiam haec quaestio videtur esse quaestio de veritate religiosa. Insignis enim quaedam excellentia hominis magnumque, quod grato animo ad Deum referre debet, bonum eo continetur, quod secundum corpus ipsis quasi Dei manibus formatum sit nec bestias habeat patrem et matrem. Neque Patres, cum S. Scripturam explicantes hominem immediate a Deo creatum esse dicunt, id quasi obiter referunt, sed narratione Scripturae summam quandam hominis laudem contineri putant. Oratoria quadam exaggeratione Tertullianus: „Totiens honoratur (caro)“, inquit, „quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia et ipsa inprimis affectione, qua lineamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus etc.“¹

Porro orta est quaestio, utrum diluvium ad totam plane terram omniaque animalia terrestria, quae extra arcam fuerint, extendendum sit, an ad eam solam terrae partem, in qua degerint homines; imo, utrum totum humanum genus, excepta Noe familia, extinctum sit, an una sola gens, cuius historiam sacer scriptor exclusis aliis persequatur. Quae quaestio ut decidatur, consulenda est Scripturae narratio. Utrum autem in eius sensu determinando singuli sint liberi, an admittere debeant sensum, qui *fortasse* antiquitatis christianae consensu iam determinatus est, id pendet ab altera quaestione, utrum de re religiosa agatur necne. In ea autem quaestione duae partes doctrinae, quam commemoravimus, inter se recte distinguuntur. Multo enim magis altera pars, qua quaeritur, utrum totum genus humanum, an una gens extincta sit, religiosa quaestio haberi debet quam prior, quae est de tota terra vel eius parte. Etenim diluvio generi humano manifesta-

¹ De resurrectione carnis c. 6 (Migne P. L. II, 802).

tur a Deo, quanta sit divinae iustitiae severitas, quantumque Deum offendendi crimen, quod utrumque certe ad ambitum veritatum religiosarum spectat. Multo praeclarius autem divinae iustitiae maiestas Deique peccati odium diluvio manifestatum est, si Deus, ut crimina vindicaret, ne a toto quidem genere humano delendo abstinerit ac novum quasi ab alio parente prodire voluerit, quam si unam gentem exstinxerit. Alia tantum propter homines, in quibus solis culpa est, delet, ut non ita pateat, quomodo magis iustitiam manifestasse dicatur, si universam plane terram undis involvit omniaque eius animalia exstinxit, quam si eam solam terrae partem poenis petiit, quam homines incolebant. Caeterum etiam hanc quaestionem, quae est de tota terra vel sola eius parte, religiosam non esse equidem contendere noluerim.

COMMENTATIO IV.

Sitne a Concilio definitum, eos, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperint, sine peccato formali eandem fidem mutare vel in dubium vocare non posse.

In capite tertio Constitutionis de fide, postquam expositum est, quae tanta sint revelationis christianae in Ecclesia catholica signa veritatis, atque quae sit gratiae divinae vis, qua homines ad veritatem agnoscendam ducantur et, ut in agnita perseverent, confirmentur, pergitur: „Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, *qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi.*“ Canon respondens hic est: „S. q. d., parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita *ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s.*“

Quam quidem definitionem aliqui theologi ita explicaverunt, ut dicerent, ea definitum esse, fieri non posse, ut homo catholicus errore invincibili et sine peccato *formaliter* commisso fidem in dubium vocet vel deserat. Putant igitur, definiri, non solum *objective* non adesse veram et iustam causam, sed ne talem quidem rationis speciem menti hominis catholici se offerre posse, qua deceptus errore invincibili putet, iam recte se de fide dubitare vel eam deserere¹.

¹ Id nuperrime contendit Aloysius Schmid, Erkenntnisslehre. Friburgi Brisg., Herder, 1890. T. I, p. 99. — Ios. Kleutgen S. I., licet censeat, hominem catholicum sine culpa a veritate deficere non posse, Concilium Vaticanum citat ille quidem, non tamen dicit, ab eo sententiam,